



## I. Abteilung: Abhandlungen.

### De Vita Sensitiva.

#### Dissertatio.

Scriptis Philippus Claramunt, O. S. B., Montserrat.

a) Quid sit sentire, sua quisque novit experientia. Porro sentimus patiēdo, ut cum dolore afficimur: sentimus quoque nostram percipiēdo sensibilem passionem; nam dolorem ipsum simul patimur atque percipimus: sentimus denique percipiēdo tantum, cum aliquid fit sensibiliter praesens animae quod non sit passio sensibilis, ut in visione oculorum, in qua rem externam simpliciter cognoscimus, nihil patientes sensibiliter. Si dolorem sentio, dolor ipse sensatio est; sed passiva, non activa; passio nempe, non cognitio: dolorem autem patiens, illum simul percipio tamquam animal simpliciter, id est, sensibiliter; et possum etiam illum percipere tamquam homo, id est, intellectualiter. Nam et asinus dolorem patitur simul et percipit, et apprehensionem illius memoria tenet, quoniam cum de novo ei objicitur causa doloris, illam aufugit memor ingratae sensationis. Sed perceptio ejus est sensibilis tantum, quia caret intellectu, et per eam non cognoscit sensationem tamquam veritatem facti, nec habet certitudinem illius, quoniam veritas et certitudo objectum sunt respective et fructus perceptionis intellectualis. Passio igitur doloris et sensibilis perceptio ejus distinguendae sunt sicut distinguitur a cognitione objectum ejus, ut passio seu dolor dicatur sensatio passiva, ejus autem perceptio sensatio activa. Sed non in omni sensatione contingit ut distinguendae sint passio sensibilis et cognitio; nam sensatio visus est pure activa, quippe in qua nihil passive sentimus, sed rem externam simpliciter percipimus. Si sentire non esset nisi cognoscere, non sentiremus nos sentire; sentimus enim nos sentire quum nostram sensibilem passionem sensibiliter percipimus; actus enim cognitionis sensitivae nequit habere pro ob-

jecto semetipsum, sed vel rem vel passionem sensibilem. Unde sensatio activa vel cognitio sensitiva non cognoscitur nisi per discursum intellectus. E quibus jam colligere licet quod sonus in auditu, odor in olfactu, sapor in gustu et impressio sensibilis in tactu habent rationem passionis, non perceptionis, non modo quia sensibilibus percipiuntur, perceptio autem sensibilis non sentitur, sed etiam quia sunt affectiones sentientis quae per aliquam impressionem producuntur. Unde liquido patet quantum ab his differat sensatio visus, cujus organum ad perceptionem rei externae tantum deservit, cum reliquorum sensuum organa instrumenta sint sensibilis passionis. Porro passionis sensibilis seu passivae sensationis conditio est, ut non habeat objectum sed causam sui; nam objectum respondet semper actioni, non passioni; sicut causa e contra passionem respicit ut effectum.

b) Deinde discernere oportet inter perceptionem sensitivam et repraesentationem sensibilem. Dupliciter enim rem aliquam sensibilibus percipimus: uno modo quum rem ipsam quae animo nostro objicitur, sive externa sit sive interna, puta arborem, domum, dolorem, etc., perceptione apprehendimus: alio modo quum exoritur in animo species rei quam antea percipimus; tunc enim eadem res, etsi animo non objecta in reali entitate sua, de novo percipitur in specie quae refert similitudinem ejus, cujusque vi rem absentem veluti praesentem intuemur. Jam vero repraesentatio rei in specie relatio similitudinis est, non actus cognitionis vel apprehensionis, nam cognoscere est agere: unde res antea percepta objectum est repraesentationis speciei, per quam in animo apparentem rei manifestatio fit; species autem objectum est perceptionis; perceptio enim sine objecto non datur, quod in casu internae repraesentationis rei aliud esse non potest quam species quae refert similitudinem ejus, et in ratione imaginis substituitur illi. Ideo sane interna est visio rei sic perceptae, quia intra nos est objectum illius. Actus igitur perceptionis non exercetur virtute speciei quae est imago rei alias perceptae; nam species ipsa est objectum perceptum in visione interna, quippe quae rei per se repraesentatae substituitur, ut in ea res quae tunc in seipsa non attingitur, videatur. Et ideo hanc speciem vel repraesentationem sentimus; nam id sentitur quod sensibilis est cognitionis objectum, nequaquam vero quod pertinet ad perceptionis principium. Porro species ipsa, cum ad vitam animae pertineat, per seipsam fit immediate praesens animae in ordine cognitionis: illam ergo percipere illius est sentire praesentiam. Sentimus igitur speciem in animo nostro sicut sentimus per visionem externam res extra nos positas, nempe, percipiendo tantum, non patiendo. Potest utique repraesentatio hujusmodi alicujus sensibilis immutationis vel passionis in animalitate occasio existere, sed illam per se non

importat: contingit enim non raro ut rei alicujus species inopinate oriatur in animo, atque etiam ut in eam attente animi defigatur obtutus, quin aliquid passive sentiamus, licet forte capitis defatigatio inde sequatur; nam etiam ex usu oculorum in visione externa aliquid doloris quandoque sentitur in eis vel sequitur detrimenti, quamvis nihil talis visio per se importat sensibilis passionis.

c) Sensationis activae et passivae expositis notionibus, in naturam jam et condiciones sensationum sensuum externorum data opera inquiramus. Et primo quidem de sensatione tactus certum est, in eo ipsam consistere quod sentiatur contactus alicujus corporis cum corpore ipsius sentientis; nam haec est definitio ejus quod de sensationis hujus natura per experientiam novimus: qui quidem sensus, quamvis externis connumeratur, per totum tamen corpus animalis extenditur, ita ut corpus quod sua pulsatione vel impressione in corpus animalis hanc sensationem producit, possit aut corpori animalis esse extraneum aut ad ipsum aliquatenus pertinere, ut quum aliquid intra nos moveri sentimus. Sentire igitur hanc sensationem, id est, percipere sensibiliter hanc sensationem passivam, non est solam percipere affectionem vitalem subjecti sentientis, id est, non est percipere aliquid mere subjectivum tantum, sed communicationem quoque subjecti cum corpore a quo recipit impressionem, quae communicatio non est aliud quam contactus; si enim non sentitur contactus, non est sensatio tactus. Nec tamen propter hoc duplex perceptionis objectum duplicatur sensatio; non enim duae, sed una est passio, de qua tamen percipiuntur sensibiliter quae perceptibilia sunt: porro perceptibilis est non modo affectio vitalis ut sic, id est, tamquam accidens vitale subjecti, sed impressio quoque in corpore animalis recepta; nam sensatio tactus, ut passiva est, non est aliud quam impressio sensibilis in corpus animalis; impressio autem non erit sensibilis, si non sentitur, seu, quod idem est, si non sentitur contactus, siquidem affectio vitalis in hac sensatione in eo consistit quod passive sentiatur impressio alicujus corporis in corpus subjecti sentientis. Ad quod clare intelligendum scire oportet quod saepe contingit ut sensationem tactus alia sensatio comitetur quae, etsi ab illa diversa, e contactu tamen generatur. Et sane diversas e contactu passiones in nobis experimur, ut voluptatis vel doloris, caloris vel frigoris, a quibus non modo distincta est sensatio tactus, sed etiam separabilis: quandoque enim contactum sentimus sine voluptate aut dolore, quandoque sine calore vel frigore, quandoque etiam sine ulla ex istis affectionibus, solam experientes sensibilem impressionem rei materialis in corpus nostrum; haec autem impressio unius resistentiae corporum effectus existit, sive in motu corporis

animalis in aliud, sive e converso. Non solum autem sensationis tactus cum qualibet e supradictis affectionibus vitanda confusio est, sed diversae quoque causae ipsis assignandae sunt. Etenim sensatio tactus effectus est resistentiae corporum, et ipsa resistentia est quod in hac sensatione sentitur; illae vero affectiones, quamvis e contactu generantur, non per solum contactum producuntur, cum neque e contactu sit, id est, corporum resistentia, quod in eis sentitur, neque contactu sensibili opus sit ad earum productionem, sed per contactum sive sensibilem sive non sensibilem ponitur in nobis causa earum, quae potest esse v. g. defectus congruae proportionis inter humores. Sic aëris praesentiam e simplici contactu ejus non sentimus, et nihilominus per hujusmodi contactum non sensibilem seu per meram communicationem materialem aëris cum corpore nostro calor in nobis fovetur aut minuitur; per quod ostenditur quod contactus non est causa caloris in nobis secundum impressionem quae causat sensationem tactus, sed secundum quod per illum efficitur ut existat in corpore nostro illud per quod corpora fiunt calida, ita ut e contactu corporis animalis cum corpore calido sensatio caloris in animali non proveniret, si per id ipsum quo corpus illud calidum effectum est, corpus animalis non calefieret tamquam per aliquid sibi inhaerens. Sic ergo non uretur corpus animalis lamina candente ipsi admota, nec vel minimam caloris sensationem animal inde experietur, si id ipsum quod in lamina existens eam facit esse ardentem, non communicetur corpori animalis. Et ita forte factum est, licet per miraculum, quando aliquis per carbones ardentes sine laesione incessit. De frigore autem, per comparisonem ad tactum, idem dicendum est ac de calore, quia contrariorum eadem est ratio. Relinquitur ergo specialem sensationem tactus esse dumtaxat sensationem resistentiae corporum, vel impressionis quam ex eadem resistentia patitur animal in corpore suo. Et ita quidem sit oportet, ut aliquid speciale haec sensatio habeat distinctum a reliquis sensationibus passivis, quippe in quibus impressio sensibilis in genere invenitur. Circa quod sciendum est quod anima nostra non communicat cum mundo corporeo in sensatione nisi per contactum corporis quod vivificat, cum aliis corporibus: unde in sensatione passiva, si non sentiatur contactus, sed sola affectio vitalis tamquam accidens subjecti sentientis, ut in auditione, si solus percipiatur sonus, non autem organi percussio aut impressio per quam sonus producitur, impossibilis erit sensibilis perceptio rei a qua impressio in animali corpore recipitur; si autem in omni sensatione passiva sentiatur contactus, et non distinguamus inter specialem sensationem tactus et impressionem sensibilem in genere, duae erunt in sensationibus passivis sensatione tactus excepta, sensibiles

passiones; illa nempe quae cujusque sensationis est propria, ut sonus in auditu; et alia quae pertinet ad sensum tactus, et aliud non est quam sentire contactum; sic autem sensatio tactus nihil speciale haberet, siquidem sentire contactum omni supponitur passivae sensationi commune. Solvitur ergo difficultas ista distinguendo inter sensationem resistentiae corporum et impressionem sensibilem in genere. Sensationes sensuum externorum specie distingui inter se, propria cuique patet experientia: quis enim simplicem tactus impressionem cum sapore aut odore confundat? Quae quidem distinctio non est secundum perceptionem sensitivam, percipere namque sensibiliter semper est idem specie, est enim aliquid, quidquid sit, vitaliter apprehendere; sed secundum sensibilem passionem, quae peculiaris est cuique sensui, et cujus diversitati respondet diversitas organorum, quorum unumquodque est apte dispositum ut ex impressione quae in eo recipitur, specialis sensatio exsurgat. Deinde sensatio tactus non solum a reliquis specie distinguitur, sed eas praeterea non comitatur, necessario videlicet aut per se. Quum cibum aliquem gustantes v. g. saporem ejus simul percipimus ac resistentiam, duae tunc speciales sensationes habentur; nam impressio secundum resistentiam non pertinet ad sensationem gustus, sed constituit specialem sensationem tactus: sensatio autem gustus etiam obtinet, si aliquid palato sit inhaerens, aptum hanc sensationem producere, quin corporis alicujus resistentiam sentiamus, sicuti etiam odores et sonos absque resistentiae sensatione percipimus. Igitur si sensatio tactus est sentire contactum, et eadem sensatio specie distinguitur a reliquis sensationibus passivis, necesse est ut in his non sentiatur contactus nisi aliter quam in sensatione tactus, id est, sub ratione tantum impressionis sensibilis in genere. Nam cum v. g. sonitum campanae clare, distincte jucundeque audimus, absdubio sentimus vel percipimus et aliquid agi extra nos et extrinsecus in nos; et consequenter vel motu corporis ad rem externam nos convertimus, vel saltem rem ipsam nobis in imaginatione repraesentamus: haec autem nostra ad rem externam conversio vel ejusdem intra nos repraesentatio non semper locum habet in sensatione auditus, ut observare licet cum tinnunt aures; tunc enim sonum aliquem utique audimus, sed non contingit quod de casu sonitus campanae diximus: unde manifestum fit quod causa conversionis nostrae ad rem externam aut repraesentationis ejus in animo nostro non est sonus ut sonus simpliciter, sed percussio organi, et percussio quidem sensibilis seu sensatio percussionis vel impressionis quae recipitur in organo, seu, quod idem est, contactus sensibilis qui necessarius est in omni sensatione passiva, ut non sola affectio vitalis tamquam aliquid subjecto inhaerens percipiatur in ea, sed impressio etiam per quam affectio

vitalis producitur. Ista quidem impressio numquam deest in sensatione auditus; sed a diverso modo recipiendi eam in organo provenit quod ad rem externam nos convertamus, vel eam nobis repraesentemus, aut secus: ipsa autem impressio, quamvis est sensibilis, non est ea per quam producitur specialis sensatio tactus, nam in sensu tactus impressio seu contactus sensibilis constituit ipsam specialem sensationem ejus, quae est sensatio resistentiae corporum: in aliis vero sensibus sensatio specialis est sonus, odor, etc.; impressio autem sensibilis non sentitur seorsim a sensatione speciali, nec constituit sensationem ab ea distinctam, sed est tamquam proprietates ejus, quatenus cum quaevis e dictis affectionibus per aliqualem impressionem producat, in qualibet ex eis velut involvitur sensatio impressionis; et inde est quod animal non solam specialem affectionem, sonum v. g. percipiat, sed impressionem etiam qua affectio producitur. Ita et non aliter, opinione mea, potest explicari conversio animalis ad rem externam vel repraesentatio ejus in anima.

d) De sensationibus passivis in genere satis impraesentiarum dictum esse videtur; sed aliqua inquirenda supersunt de sensatione auditus, quam fortasse miretur aliquis quod passivis accenseam, nam audire actionem dicit, non passionem. Nihilominus passivam eam esse arbitror, quamvis inter passivas nobiliorem, quippe in qua impressiones adeo materiales aliarum et bestiales non apparent. Passiva, inquam, est haec sensatio, quamvis inter passivas nobilior, quia major nobilitas speciem sensationis passivae non mutat, modo non desit passio sensibilis, quae reapse habetur in sensatione auditus. Audire quidem est agere, non pati; sed sonus, qui medio organo vivificato producitur, passio est, non actio; non enim est auditio, sed res audita vel percepta, affectio nempe vitalis, quae per seipsam fit praesens animae; et ideo organum auditus instrumentum est sensibilis passionis, quoniam deservit ad recipiendam impressionem qua producitur sonus. Cum igitur sensatio auditus, tamquam specialis, in sono consistat, sicut in sapore sensatio gustus, seu ad aliud non deserviat organum auditus nisi ad recipiendam impressionem qua producitur sonus, sicut organum gustus ad recipiendam eam qua producitur affectio saporis; manifestum est sensationem auditus esse passivam sicut caeterae excepta visione, sonumque in ea percipi non auditu sed virtute sensitiva animae, sicut per eandem percipitur sapor, et non per organum vivificatum, quod non est nisi instrumentum passionis. Per auditum quidem soni audiri dici possunt, quatenus in auditu recipiuntur impressiones quibus soni producuntur; aut etiam quia etsi sonus internus est et vitalis, ratione tamen actionis qua percutitur organum, illum quasi rem externam percipere nobis videtur, ut observare licet

in casu sonitus campanae quem paragrapho praecedenti proposuimus; sed organum corporeum sentire, sive active sive passive, tam absurdum est quam jumentum intelligere. Sentire namque vivere est; vita autem, cujusvis generis sit, pertinet ad substantiam viventis: unde cum substantiae corporeae non sit vivere, impossibile est virtutem percipiendi sensibiliter et sensibilem affectionem seu vitalem passionem in corpore vivificato residere, sed utriusque subjectum anima est, cujus est vivere. Corpus namque non ita vivificatur ut corporea substantia de vita animae participet; vita enim, uti dixi, est de substantia viventis; unde cum de ratione corporis non sit vivere, aut substantia quaelibet non est corpus, aut non est vivens, quia omnis substantia est quid indivisibile, id est, non mutatur secundum substantialem naturam; si enim aliqua substantia ita mutari supponatur, jam desinit esse haec substantia, et in aliam speciem transit. Recte nihilominus corpus quod anima informat, vivificari dicitur, quatenus virtute substantialis unionis animae et corporis (de qua qui illam effecit, Deus, novit qualis sit) impressiones quae si in mero corpore reciperentur, pure materiales essent, receptae in corpore animato, ipsam animae vitam afficiunt; motus vero vel actiones corporis animati tales sunt quae per solas physicas materiae vires nequeant exerceri, quaeque proinde, ut vires materiae superantes, non corporis, sed animae activitati debeantur: talis est motus localis ad libitum, per quem animalia a plantis secernimus. Recte item substantialis vocatur unio animae et corporis secundum quod per eam unum efficitur ens specificum, et non alio sensu. Auditus igitur, ut ad hujus paragraphi scopum redeamus, non est sensus externus nisi secundum materialem impressionem quae recipitur in organo, quaeque in quantum sensibilis est, in sensatione sonus involvitur quae per eam producitur; nam speciale sensationis hujus objectum sonus ipse est, qui est sensibilis affectio animae. Nihil ergo peculiare haec auditus sensatio habet quo a reliquis passivis differat sub conceptu sensibilis passionis; sed in hac sicut in illis, affectio specialis (sonus) fit per se praesens animae, res vero externa vel agens in organum, media sensibili impressione.

e) De visione denique jam diximus quod est sensatio pure activa, quia ut experientia constat, nihil in ea sensibiliter patimur, sed simpliciter cognoscimus. Certum est etiam contactum esse necessarium in ea, et in ejus necessitate fundatur necessitas organi, ad animae nempe communicationem cum re externa. Contactus autem in hac sensatione non est sensibilis; talis quippe importat sensibilem passionem, quae in hac sensatione non invenitur. Organum igitur in hac sensatione instrumentum est communicationis animae cum re externa, ut hanc possit anima virtute sua

perceptiva apprehendere: haec autem apprehensio, sicut et alia quaevis in sensationibus, fit immediate, meo quidem iudicio, per virtutem animae, non per aliquam speciem rei perceptae, neque organo ad actum concurrente sub ratione principii perceptionis, juxta dicta supra de corporis vivificatione. Quam sententiam praeterea suadent, quoad speciem rei perceptae, quae supra disseruimus (lit. *b*) distinguentes inter sensibilem perceptionem et repraesentationem rei perceptae; quoad organi vero interventum, ratio quam praeuimus lit. *c*) pluralitatis et diversitatis organorum, quod scilicet diversa organa respondent diversis passionibus et impressionibus quae in corpore animali recipiuntur, non diversis perceptionibus seu modis percipiendi; nam percipere semper est idem. Ad hoc igitur deservit organum visus, ut per impressionem non sensibilem quae in eo recipitur, excitetur virtus animae ad communicationem ipsius cum re externa, unde fit ut res ipsa per lumen quod animae est proprium, illuminetur, et per illuminationem animae ipsi manifestetur, quia omne quod manifestatur, lumen est. Consonat insuper haec nostra sententia recentiorum physicorum theoriae de natura lucis, quam ex parte objecti percepti vel mundi corporei communiter in motu reponunt. (Conf. quae de natura lucis sensibilis disputavimus in dissert. de Smae. Trinitatis Mysterio, lit. *l*) in nota.) Confirmatur praeterea eadem sententia, si attenditur effectus radiorum lucis in organo visionis. Nam imago objecti quae apparet in retina, effectus quidem est radiorum lucis, non autem respectu oculi ubi imago cernitur, sed respectu subjecti spectantis eam; qui cum radios qui ab objecto proficiscuntur, non recipiat directe in oculo suo sed reflexe, ideo rem non videt in seipsa sed in imagine ejus; haec autem imago ibi apparet ubi radii reflectuntur. Imago igitur quae in retina cernitur, realis est secundum effectum quem radii lucis producunt in spectatore, non vero tamquam forma quaedam animam afficiens subjecti in quo apparet, aut per quam anima communicet cum objecto et apprehendat illud. Nam si haec imago esset forma realis respectu subjecti in quo apparet, deberet esse aliquid materiale, cum videatur etiam in oculo animalis mortui: si autem esset aliquid materiale, actus perceptionis subjecti ejusdem deberet ad eam terminari, alioquin ad nihil ipsa deserviret in ratione imaginis, siquidem nec animam afficeret aut informaret, utpote materialis, nec objectum esset aut medium visionis; sive enim objectum esse dicatur sive medium, necesse est ut actus perceptionis ad eam terminetur vel tamquam ad id quod percipitur, vel tamquam ad id in quo aliud percipitur: jam vero utrumque est impossibile, quia imago est inversa, et sic objectum visionis in eo situ non exhibet in quo videtur. Ergo imago haec non pertinet ad sensationem subjecti percipientis

visionis objectum, sed ad sensationem ejus qui eam in alieno oculo spectat; seu non est aliqua forma existens in subjecto vidente objectum, sed est effectus quem motus ex parte causae materialis producit in spectante illam. Et re quidem vera, si per motum effectus iste explicetur, inveniatur ratio sufficiens et existentiae imaginis et inversionis ejus. Nam existit imago secundum visionem spectantis illam; hic enim, cum recipiat radios lucis reflexos, non videt objectum in seipso, sed videt illud in imagine ubi radii reflectuntur: imago autem videtur inversa, quia radii, antequam reflectantur versus oculum spectatoris, decussantur dum in oculi in quo imago apparet, pupillam ingrediuntur; et ita efficitur ut partes superiores objecti visionis fiant in imagine inferiores, et e converso, respectu spectantis illam. Quoniam vero imago pertinet ad sensationem tantum spectantis illam, ut dictum est, nihil obstat inversio ejus quominus objectum reale in vero situ suo appareat subjecto videnti illud: nam per motum in quo ex parte materiae lucis radii consistunt, virtus animae excitatur ut cum re externa communicet eamque apprehendat absque ullo medio, ita ut actio apprehensiva animae non terminetur ad oculi puncta in quibus radii reflectuntur, sed ad puncta realis objecti e quibus radii proficiscuntur. Igitur perceptio rei sensibilis est immediata, et per solam animae virtutem exercetur: quod satis probatum est lit. b) ubi distinguitur inter actum sensibilis perceptionis et speciei sensibilis repraesentationem: et deducitur etiam ex dictis lit. a) de perceptione sensibilis passionis; nam dolor v. g. non est aliquid materiale, sed ad ipsam pertinet vitam animae, quae per eandem doloris affectionem in exercitio posita, virtute sua perceptiva apprehendit illam; ex hac autem apprehensione sensibilis passionis, quae ut affectio animae per seipsam fit praesens ei, oritur in anima species repraesentativa passionis ejusdem, et passione cessante manet in memoria notitia ejus. Eorum autem opinio qui contendunt animam accipere a re sensibili speciem ipsius rei, principium perceptionis informantem et complementem ad perceptionis actum exercendum, omni fundamento caret. Nam in primis non a perceptionis objecto sed a natura sua habet anima percipiendi virtutem, ad quam exercendam sufficit ut objectum animae manifestetur per lumen. Deinde species cujus existentia per conscientiae testimonium nobis constat, non pertinet ad perceptionis principium ut sic, sed est perceptionis objectum; ideo quippe illam intra nos sentimus, nequaquam vero sentimus perceptionis actum aut principium. Denique species repraesentans perceptionis objectum nequit in anima oriri, naturaliter loquendo, nisi per actionem animae objectum ipsum apprehendentis, siquidem accidens vitale qualis est species de qua agimus, nequit esse aliquid procedens

vel immissum a substantia materiali vel non vivente quae sensationis est objectum: si autem species non existit in anima nisi consequenter ex apprehensione objecti, liquido patet nullam aliam admittendam esse in anima speciem praeter eam quae perceptionis est fructus; quid enim est objecti per animae virtutem apprehensio nisi perceptio illius? Ideo in Deo Patre prius est, secundum ordinem operationum, seipsum intelligere, ac deinde tamquam fructus intellectionis procedit ab eo Verbum, quod ideo dicitur ejusdem Patris Imago, in qua repraesentantur omnia quae Pater de se intelligit. Divina namque Sapientia, ut sacra testantur eloquia, ex ore Altissimi prodivit, et ipse Sapientiae ortus Verbi generatio est: eatenus autem Sapientia prodivit quatenus intellectio divinae essentiae in qua Dei sapientia consistit, Verbi generatione exprimitur. Ergo actus intellectionis praesupponitur generationi speciei, quippe quae intellectionis ipsius est fructus. Et idem tenendum, juxta supra dicta, de cognitione sensibili.

f) Ex hucusque de sensatione enucleatis plane infertur non esse in homine plures facultates sentiendi sed unam tantum, id est, unam animae virtutem sensitivam per quam percipiuntur omnia sensibilia, sicut una est virtus intellectiva pro omnibus intelligibilibus: id enim quod est percipere sensibiliter, rei nempe sensibilis praesentiam advertere eamque actu vitali apprehendere, idem est in omnibus sensationibus, sicut id quod est intelligere, idem est in omnibus intellectionibus; pluralitas autem specifica vel diversitas non invenitur in sensationibus nisi secundum passiones, nec alia ratio assignari rationabiliter potest pluralitatis et diversitatis organorum quam diversa genera impressionum quae in organis et per organa in anima recipiuntur, quatenus anima per eas diversimode afficitur. Perceptionis autem sensitivae triplex est objectum: res nempe externa quae fit praesens animae vel per visum in sensatione pure activa, vel una cum impressione sua in organum in sensatione passiva, v. g. in contactu sensibili; et similiter res interna seu intra corpus animalis existens, quae impressione aliqua causet sensationem tactus. Alterum perceptionis sensitivae objectum ipsa est affectio animae vel passio sensibilis, v. g. dolor, in sensatione passiva. Tertium denique species est seu imago rei perceptae quae oritur in anima, et in qua rem eandem de novo anima intuetur. Ad haec sane tria genera objectorum sensibilia omnia revocantur, quorum secundum et tertium, videlicet, animae affectiones et rerum sensibilibus species, organum non postulant per quod fiant animae praesentia, quandoquidem ad ipsam animae vitam pertinent, et quidem in exercitio positam. Res vero materiales dupliciter medio organo fiunt praesentes animae: per impressionem videlicet non sensibilem, qualis recipitur in organo visionis, et per impressionem sensibilem

quae in omni passiva sensatione invenitur. Ergo sensus qui interni dicuntur, nihil aliud sunt quam unica animae virtus perceptiva: sensus autem externi distinguuntur secundum organa sensoria et passiones quae illis mediis, excepto organo visus, producuntur; non vero secundum virtutem percipiendi, quae animae solius est, cum organum non deserviat nisi ad recipiendam causae materialis impressionem.

g) Ad cuius doctrinae confirmationem scire oportet quod sensus qui externi dicuntur, externi non sunt nisi secundum quod organa res externas respiciunt; nam passiones quae mediis organis producuntur, pertinent ad vitam animae, pariterque actus cognitionis in singulis sensationibus. Unde non est locus sensui communi (interno) quem dicunt facultatem esse percipiendi sensationes sensuum externorum: sensationes enim istae, id est, passiones, utique percipiuntur ab anima; sed sine causa ponitur organum internum quo medio percipiantur, tum quia organi non est percipere, ut probatum est, sed impressionem recipere, tum quia pro diversis generibus impressionum extrinsecus recipiendarum diversa organa externa natura providit. Porro de sensatione visus non est cur dicatur non posse ipsam objectum esse facultatis sensitivae, cum sit perceptio pura seu absque sensibili passione, perceptio enim sensibilis non sentitur: rei autem externae, quae objectum est sensationis hujus, internum organum non correspondet, sed externum. Si ergo sensationes sensuum externorum quatenus activae sunt seu secundum perceptionis actum non percipiuntur sensibiliter, et quatenus passivae sunt, producuntur per impressionem quae recipitur in organo externo; supervacaneum est organum internum quod sensum communem appellant, nec assignari potest ratio sufficiens existentiae ejus. Perceptiones autem omnes, sive simultaneae supponantur sive successivae in sensationibus eisdem, uni virtuti animae adscribendae sunt. Et ista quidem de re externa vel a qua recipitur impressio in organo, et de passione sensibili.

h) Quod autem attinet rerum perceptarum repraesentationem in anima, sciendum est quod quotiescumque aliquid sentimus sive simpliciter videndo sive patiendo, anima id quod sentit, per cognitionem facit suum, illudque perceptione cessante plus minus memoria retinetur aut imaginatione revocatur, prout cum majori vel minori attentionis gradu perceptum est. Itaque dolor v. g. dupliciter est in anima: transeunter secundum passibilitatem, et permanenter secundum cognitionem; quia non modo illum cognoscimus dum actu illum patimur, sed manet post passionem notitia ejus, quae rursus vel est in actu dum illum imaginamur, vel in virtute memoriae qua potest iterum atque iterum excitari species repraesentativa illius: et idem dicendum, ut experientia constat,

de omni re sensibili. Ita dumtaxat et non aliter se exerit animae virtus speciei productiva in ordine sensibilitatis; id est, species perceptorum producit et reproducit, et nihil amplius: specierum autem combinationes seu earum junctionem et separationem unde aliquid in ordine reali non existens seu aliquid antea non perceptum v. g. mons aureus, homo alatus, oriatur in animo, virtus sensitiva non valet efficere, quippe cujus non est rerum quidditates cognoscere, sed objectum dumtaxat reddere praesens animae; et ideo sensitivae cognitionis fructus alius esse nequit quam ut objecta sic per species animae repraesententur sicut in ordine reali percepta sunt. In dictis autem combinationibus efficiendis imaginatio servit intellectui et voluntati: nam intellectus per rerum distinctionem et comparisonem conjuncta disjungit et disjuncta conjungit, unde pulchrae artes ortae sunt; voluntas autem facultates omnes ad exercitium movet imperio suo. Unde brutum animal non valet aliquid sibi repraesentare non existens in rerum natura, seu nihil potest e rerum speciebus imaginatione confingere, sed habet simpliciter imaginationem vel memoriam rerum perceptarum. Tria igitur distinguenda sunt quoad species sensibilibus in anima: virtus nempe animae producendi speciem, repraesentatio rei sensibilis in eadem specie, specierum denique compositio et divisio; et per haec tria, si addatur perceptionis vel cognitionis actus, redditur ratio triplicis denominationis qua designatur una et eadem virtus seu facultas animae sensitivae: nam virtus productiva speciei una cum virtute videndi rem sensibilem in eadem specie vocari potest imaginatio, spectata dumtaxat repraesentatione rei in imagine ejus, et praescindendo a cognitionis vel repraesentationis duratione vel interruptione: et eadem virtus habet rationem memoriae, quatenus cognitione vel repraesentatione cessante species de novo excitatur: vocari autem postest phantasia secundum quod species subministrat phantasmatibus quibus utitur intellectus, efformandis, in quibus repraesentantur aut entia non existentia, ut homo alatus; aut entia insensibilia, ut spiritus; aut entia sensibilia quidem, sed alio modo quam per sensus percipiuntur, ut rerum materialium essentiae. Phantasia, inquam, species subministrat phantasmatibus efformandis, sed phantasmata non efformat; quia non est virtutis sensitivae compositiones vel combinationes aut abstractiones in speciebus facere, sed species dumtaxat producere quae phantasmatibus virtute intellectus efformandis deserviunt; quamvis phantasmata ipsa, conficta cum sint, sensitivae sunt cognitionis objectum, siquidem speciebus sensibilibus constant. Profecto homo alatus, si existeret, perciperetur per visum; et similiter virtute sensitiva animae percipitur in phantasmate quod illum repraesentat.

i) Sunt vero qui praeter tria quae recensuimus sensitivae perceptionis objecta, rem videlicet quae impressionem causat in animali, animae affectionem sensibilem et speciem in qua res jam percepta repraesentatur, aliud objectum, nescio quod, sensibilitati assignant, quod apprehendi volunt per facultatem quam aestimativam vocant in animalibus brutis, in homine cogitativam; de qua facultate et objecto haec habet Card. Gonzalez: (Philos. element., lib. 2, sect. 1, cap. 2, art. 3, 6) „Si internam experientiam ac varias sensibilitatis manifestationes, ut par est, consulamus, inveniemus profecto nos in rebus materialibus et corporeis quae per sensus sentiuntur, rationes quasdam apprehendere et discernere, natura ipsa duce et impellente, quae quidem ex seipsis insensibiles sunt, sed tamen sensibilibus objectis inclusae et veluti commixtae, simul cum ipsis ad nos ingrediuntur, atque sensibilitatem nostram ita percellunt, modificant et determinant, ut homo in objectis sensuum quaedam percipiat quae externos sensus ipsumque communem sensum penitus effugiunt. Itaque cum Alberto Magno colligere ex his factis licet quod praeter perceptiones communis sensus et imaginationis, tertius gradus est quo accipimus non tantum sensibilia, sed quasdam intentiones quae non imprimuntur sensibus, sed tamen sine sensibus numquam nobis innotescunt, sicut est, esse socialem, et amicum, et delectabilem in convictu, et affabilem, et his contraria, quae quidem cum sensibus accepimus, et tamen eorum nullum sensibus imprimitur. Quamvis ergo affabilitas, amicitia, utilitas, caetera hujusmodi, in seipsis et in abstracto per solam rationem percipiuntur et dijudicentur, at vero has ipsas qualitates in concreto singulari et corporeo per sensibilitatem internam experimur, easdem percipiendo et dijudicando quasi ex naturali iudicio. — Quod si dicas perceptiones et iudicia hujusmodi non per vim sensitivam, sed per solum intellectum perfici, falleris profecto; quandoquidem bruta animalia, quibus non est intellectus, similes perceptiones ac iudicia habent et efficiunt. Nemo plane est qui nesciat ovem lupum fugere tamquam inimicum, canem amicum sectari et iudicare, filium seu foetum proprium inter sexcenta discernere; avem paleam ad nidificandum accommodam sumere, caetera relinquendo; capram vel bovem herbam utilem comedere, noxiam respuere; quae omnia percipiendi et dijudicandi facultatem in brutis animalibus arguunt et ostendunt, similem ei quam homini concedimus quoad praefatas qualitates.“ Nescio, iterum dico, quodnam objectum, vel potius quale esse possit istud quod nec ad ordinem intellectualem pertinet, nec sensibile ex seipso est, nam praeter perceptionem intellectualem et sensibilem aliam non cognosco; quod autem sensibile ex seipso non est, cognosci quidem potest per intellectum, at non per sensum, id enim est

insensibile quod per virtutem sensitivam non percipitur. An vero dicitur insensibile ex seipso objectum illud, quia sentitur per aliud? sed hoc falsum est, nam virtus sensitiva non transit ab eo quod cognoscitur per se, ad id quod cognoscitur per aliud; hoc enim solius est intellectus, qui rerum relationes apprehendit: esse ergo objectum insensibile ex seipso est esse insensibile absolute. Si igitur objectum illud non est sensibile, quomodo cognoscetur a non habentibus intellectum? Quare autem dicitur quod tale objectum apprehenditur natura ipsa duce et impellente? numquid cognitio habetur per impulsum aut propensionem naturae seu per instinctum? Ita quidem, juxta placitum ipsius Gonzalez, qui hanc loco citato sibi proponens objectionem: — Iuxta praelibata aestimativa facultas discernit et judicat noxia, utilia, etc.; atqui discernere et dijudicare inter aliqua ad intellectum seu rationem tantum spectat: ergo. — ita respondet: „Dist. maj. Discernit et judicat judicio naturali et instinctivo, conc.: judicio rationali et collativo, nego. Itaque judicium aestimativae est pure instinctivum, utpote a natura ipsa profluens et praedeterminatum.“ Sed hoc esse non potest, quia instinctus quo in objectum aliquod natura fertur, praesupponit objecti praesentiam per cognitionem, et ideo locum non habet in actu cognitionis, sed ad partem appetitivam pertinet. (Vide quae de hoc puncto disputamus in dissert. de Causa Certitudinis.) Insuper instinctus vel est cognitio, vel non: si non est cognitio, quomodo per eum cognoscetur aliquid? si autem est cognitio, quaenam vel qualis cognitio erit in casu nostro? non intellectualis, siquidem adest ille in brutis: neque sensibilis, nam est de re non sensibili, affabilitate nempe, amicitia, etc.; quod enim per se non est sensibile, omnino non sentitur, etsi sensatio praevia necessaria sit ut illud per intellectum cognoscatur; praeterquam quod affabilitas, amicitia, etc. non cognoscuntur nisi perspectis rerum relationibus, quod manifeste ad intellectum pertinet. Laudatus philosophus asserit quidem praefatum judicium instinctivum ad cognitionem sensitivam pertinere; nam ita prosequitur: „Ergo et experientia et ratione cogimur admittere in animalibus, proindeque ex parte cognitionis sensitivae, facultatem quamdam qua rationes seu, ut vocabant Scholastici, intentiones utilis, noxii, similesque aliae in rebus materialibus, dum sensus afficiunt, percipiuntur, dijudicantur ac veluti praesentiuntur; quae facultas ea ipsa est quae aestimativa vis a nobis nuncupatur, quasi dijudicativa naturalis“. Sed in hoc sibi contradicit, quatenus facultati sensitivae assignat objectum non sensibile, et etiam quatenus tribuit illi virtutem judicandi. Paulo autem inferius addit: „Et vere quidem, si observatio et ratio nos edocent quod in ordinata serie et collectione entium veluti nexus concatenatus existit, vel ut verbis antiquorum utar,

si supremum infimi attingit infimum supremi, facile concipitur aestimativam, quae ultima vis est et veluti suprema manifestatio sensibilitatis, rationem seu intellectum aliquatenus attingere per imitationem aliquam seu participationem ejus modi operandi“. Sed hoc etiam falsum est, scilicet, supremum infimi in casu nostro attingere infimum supremi: quid enim absurdius quam supremum gradum sensibilitatis infimum esse gradum intellectiois? quantumvis perfecta sensibilitas supponatur, numquam sentire erit intelligere. Iam vero intellectus est res aestimare, qui rerum quidditatem cognoscit; non facultatis sensitivae, cujus est tantum rerum praesentiam advertere. Itaque assertiones quas e Philosophia Gonzalez transcripsimus, (assertiones quippe simpliciter sunt, non demonstrationes) nedum gratuitae sunt, sed contradictionem sonant, quatenus cognitionem sensitivam cum intellectiva ille commisceat atque confundit, cum aliunde virtute intellectiva bruta animalia non pollere fateatur. Nec potest hanc vitare contradictionem dicendo quod facultas de qua agitur, instinctus quidam est; nam instinctum ipsum inter facultates cognoscitivas adnumerat. Ad experientiam quidem recurrit; sed similiter ea quae experientia constant, cum iis quae disputationi sunt obnoxia, confuse permisceat. Quid enim est quod hac de re per experientiam novimus? ecce quomodo se explicat Gonzalez quoad ea quae in brutis vel a brutis fieri cernimus: „Quod si dicas perceptiones et judicia hujusmodi non per vim sensitivam, sed per solum intellectum perfici, falleris profecto; quandoquidem bruta animalia, quibus non est intellectus, similes perceptiones ac judicia habent et efficiunt. Nemo plane est qui nesciat ovem lupum fugere tamquam inimicum, . . . . . avem paleam ad nidificandum accommodam sumere, caetera relinquendo; . . . . . quae omnia percipiendi et dijudicandi facultatem in brutis animalibus arguunt et ostendunt, similem ei quam homini concedimus quoad praefatas qualitates.“ Verum ea quae nemo nescit, quia experientia constant, sunt quidem actiones praefatae brutorum, non actionum ipsarum causa, quae sensibus nostris non objicitur, sed est id quod in quaestione versatur: quaestio enim est, an actiones istae quas in brutis miramur, eorum cognitioni tamquam causae sint adscribendae, an vero merae propensionis per quam ordinem divinae sapientiae exequentur. Iam vero, si quis dicat executionem ordinis supponere ordinis cognitionem in exequente, iste profecto fallitur, tum quia ordo non cognoscitur nisi per intellectum, quem bruta non habent, tum etiam quia vel in entium sensibilitate carentium operationibus relucet ordo divinae sapientiae. Porro in ordinis executione animalia et entia sensu carentia in eo conveniunt quod ordinem non cognoscunt; in eo autem differunt quod haec moventur juxta physicas naturae leges, illa vero

secundum vitam animalem his legibus non subjiuntur, sed comparate ad eas moventur ad libitum; quamvis comparate ad hominem motus eorum non sunt ad libitum, sed necessarii; moventur videlicet animalia per appetitum sensitivum, qui in suis motibus dependet a cognitione sensitiva tamquam a ministrante appetitionis objectum, non tamquam a proponente appetitionis motivum, motivi enim cognitio ad intellectum pertinet, cujus est rerum naturam relationesque cognoscere; unde cognitio in brutis, relate ad appetitionem, non est nisi mera conditio ad objecti praesentiam, causa vero appetitionis est instinctus in appetitu ipso, non in cognitione, nam cognitio nequit esse causa appetitionis nisi per motivi apprehensionem, ut in homine ex parte voluntatis rationalis contingit quoties aliquid appetit ipse humano modo, id est, ex motivo ab intellectu proposito. Equidem in homine inclinationes instinctivae quibus appetitus sensitivus movebatur ante rationis usum, non extinguuntur radicaliter per libertatis exercitium; quia natura animalis, etiam post ortam intelligentiae lucem, quantum est ex se, pergit operari modo suo: verumtamen cum appetitus animalis obnoxius sit rationalis voluntatis imperio, et una sit anima agens in utroque ordine, spirituali et sensibili, inde fit ut quoties homo agit humano modo, etsi utraque parte, spirituali et animali, operatur, inclinationes ejus non sint instinctivae, sed deliberatae; quamvis ex eo quod natura animalis, ut diximus, pergit operari modo suo, naturales inclinationes ejus humanos actus faciliores reddunt vel difficiliore, prout objectum ad quod rationalis voluntas inclinatur, sensibilitati gratum est aut ingratum; donec tamen appetitus animalis virtute habituum qui deliberatorum actuum repetitione generantur, absque repugnantia obediat voluntati, tunc enim quasi naturaliter, non instinctive, amplectitur et operatur homo vel ea quae instinctive aversaretur appetitu ductus animali. Quaedam autem sunt quae potest vel debet homo appetere juxta normam rectae rationis, ad quae aliunde naturaliter inclinatur quatenus secundum naturam etiam animalem sunt ei jucunda: talis est societas aliorum hominum, et maxime eorum a quibus majora accipit beneficia, ut parentum et amicorum. Hinc honor parentibus exhibendus sensusque grati animi erga amicos semper et ubique, quin opus sit reflexione, certae obligationis aestimantur, tum propter cognitionis rerum hujusmodi facilitatem, tum quia honestae omnino apparent, et insuper ad id quod circa eas recta ratio dictat, natura ipsa inclinatur: quae quidem naturae inclinatio, si ab actu rationalis voluntatis et ab habitibus qui actibus deliberatis gignuntur, secernatur, aliud non est quam instinctus quo animalia suam appetunt conservationem et ea quae ad ipsam conferunt, et quo inter homines infans v. g. matris complexum concupiscit, et in sinu ejus in pace quiescit.

Et eadem ratiocinatio procedit circa ea quae et naturaliter animalitas per instinctum, et rationabiliter voluntas tamquam mala aversatur. Itaque concludendum est, quod operatio instinctiva ad cuius explicationem facultas aestimativa excogitata est, solius instinctus effectus esse potest: et quidem in brutis, utpote intellectu carentibus, impossibilis est rerum aestimatio, solaque admitti debet propensio vel instinctus in appetitu, ipsis a Deo inditus ut defectum rationis suppleat in ordine ad quaerenda vel respuenda quae illis utilia sunt vel nociva. In homine autem, qui per intellectum naturam ac relationes rerum dijudicat, adest praeter iudicium inclinatio naturalis vel instinctiva ad operationem ipsam de qua agimus, exercendam: nam inclinationes instinctivae animalitatis non tolluntur in homine nisi per habitus qui generantur voluntate illis repugnante, quatenus virtute habituum, ut supra dictum est, appetitus absque repugnantia obediatur voluntati, ita ut quamvis actus hominis ad quos ipse ex parte animalitatis propensionem habet, si sint deliberati seu proprie humani, voluntarii sint seu liberi, aliquid tamen ipsi participant de motu instinctivo seu propensione animalitatis, siquidem per hanc propensionem, ut supra diximus, faciliores redduntur, sicut e contra difficiliore, quum appetitus animalis id quod vult rationalis voluntas, aversatur.

1) Doctrinam de sensatione nostrae oppositam tradit S. Thomas, qui super quaestione — utrum omnes potentiae animae sint in anima sicut in subjecto — haec habet: (1 p. q. 77 art. 5) „Respondeo dicendum quod illud est subjectum operativae potentiae quod est potens operari . . . . Idem autem est quod potest operari et quod operatur. Unde oportet quod ejus sit potentia sicut subjecti, cuius est operatio.“ Equidem ista vera sunt et manifesta, siquidem ad notionem pertinent vel definitionem rei. Sed descendens ad eorum applicationem ad potentias animae, ait de sensitivis: „Quaedam vero operationes sunt animae quae exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem . . . . Et ideo potentiae quae sunt talium operationum principia, sunt in conjuncto sicut in subjecto, et non in anima sola.“ Profecto, data veritate antecedentis, quod scilicet oculus reapse videt, auris audit, etc., merito concluditur organa animata esse principia proxima sensibilis perceptionis; sed id quod in antecedente enuntiatur, est praecise quod probandum est; S. Doctor autem illud non probat, sed asserit tamquam certum, ac si ageretur de re per se evidente aut de veritate sensus communis. Equidem evidens cuique est propria experientia, per oculum se videre; sed non una inest phrasi per oculum significandi potestas, nec aliud omnes evidenter norunt nisi organi usum esse necessarium ut res externae nobis appareant aspectu suo, ne cogitante quidem majori hominum parte de ratione causae principalis aut instrumen-

talis, principii efficientis aut medii vel conditionis relate ad exercendum sensationis actum; haec enim debet sane praë oculis habere philosophus, non vulgus, nam vulgus non curat de scientiae arcanis. Non solum autem non est per se evidens id de quo agitur, sed nec veritatibus sensus communis potest accenseri, nisi veritatem sensus communis dicamus quidquid vulgus iudicat secundum meram rei apparentiam, ut e. g. Solem moveri, Terram vero immobilem permanere, quia hoc est quod offertur sensui. Cum ergo id quod in quaestione versamus, non modo non sit omnibus notum, sed ipsis etiam philosophis difficilis investigationis, non intelligo cur S. Doctor tam confidenter loquatur loc cit. pro certo asserens organum animatum principium proximum esse sensibilis perceptionis, seu, ut ipse ait, potentias quae operationum videndi, audiendi, etc. sunt principia, esse in conjuncto sicut in subjecto, et non in anima sola quin ullam ibi asserti sui probationem afferat, nec lectorem alio remittat ubi eam inveniatur; alterutrum enim videtur exposcere tum quaestionis gravitas tum titulus articuli in quo ipsa movetur.

*m)* Si autem ipsum S. Doctoris assertum ex alia aut aliis sententiis ejus deducendum est, illa videtur tamquam aptior praeferrenda qua animae sensitivae denegat subsistentiam: si enim operari sequitur esse, cui non convenit per se esse, neque per se operari convenire debet; seu, quod in idem redit, cum operationes e rei substantia profluant, consequens est ut in substantia sicut in subjecto sint operandi virtutes: si ergo anima sensitiva non est substantia, ut vult S. Thomas, (1 p. q. 75 a. 3) necesse est ut non animae solius sed compositi sit vita sensitiva et operationes ejusdem. Verum si rationem quaeras hujus sententiae, qua videlicet animae pure sensitivae denegatur subsistentia, respondet tibi S. Doctor: „Aristoteles posuit quod solum intelligere inter opera animae sine organo corporeo exercetur. Sentire vero et consequentes operationes animae sensitivae manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione; sicut in videndo immutatur pupilla per speciem coloris; et idem apparet in aliis. Et sic manifestum est quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per seipsam; sed omnis operatio sensitivae animae est conjuncti. Ex quo relinquatur quod, cum animae brutorum animalium per se non operentur, non sunt subsistentes: similiter enim unumquodque habet esse et operationem.“ In quo argumento, ut patet, deducitur defectus subsistentiae in anima sensitiva ex defectu operationis propriae; et sic juxta S. Thomae processum in hac materia jam non licet probare defectum operationis propriae per defectum subsistentiae; nam si ea quae probatione indigent, e se invicem inferantur, illegitima est illatio. Igitur juxta mentem S. Thomae non est incipiendum in hujus

argumenti processu a defectu subsistentiae, sed a defectu operationis propriae: ad hunc autem defectum adstruendum hanc S. Doctor rationem affert, quia „sentire et consequentes operationes animae sensitivae manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione; sicut in videndo immutatur pupilla per speciem coloris; et idem apparet in aliis“. Ego autem non video quod ex corporis immutatione in sensatione manifeste sequatur corpus active se habere, licet virtute animae, tanquam sensationis principium: immutatio enim ista effectus est alicujus impressionis vel actionis, et ideo non actionis est indicium sed passionis. Ex eo quod operationes animae sensitivae accidunt cum aliqua corporis immutatione, (quod tamen de omnibus non admittimus, sed de iis in quibus aliqua recipitur impressio in organo corporeo) ad summum sequitur hanc immutationem esse necessariam in sensatione, seu necessariam esse aliquam impressionem vel contactum, quod optime cum theoria nostra conciliatur. Itaque ratio quam pro sua sententia adducit S. Thomas, nequaquam illam demonstrat, imo nec probabilem ostendit.

n) Rursus ex hac sua sententia S. Doctor infert aliam, animam scilicet sensitivam animalium traduci cum semine. (1 p. q. 118 a. 1.) Haec sunt verba ejus: „Respondeo dicendum quod quidam posuerunt animas sensitivas animalium a Deo creari. Quae quidem positio conveniens esset, si anima sensitiva esset res subsistens, habens per se esse et operationem . . . . . Et ideo cum non sit forma subsistens, habet se in essendo ad modum aliarum formarum corporalium quibus per se non debetur esse, sed esse dicuntur in quantum composita subsistentia per eas sunt. Unde et ipsis compositis debetur fieri.“ Ad Sed contra autem haec habet: „Ita se habet virtus quae est in semine, ad animalia quae ex semine generantur, sicut se habet virtus quae est in elementis mundi, ad animalia quae ex elementis mundi producantur, sicut quae ex putrefactione generantur. Sed in hujusmodi animalibus animae producantur ex virtute quae est in elementis, secundum illud Genes. 1, 20: ‚Producant aquae reptile animae viventis‘. Ergo et animalium quae generantur ex semine, animae producantur ex virtute quae est in semine.“ Haec igitur sententia, quod videlicet anima sensitiva animalium traducitur cum semine, caret fundamento, siquidem alia ex qua a S. Thoma deducitur, animam scilicet ipsam non esse subsistentem, non demonstratur. Porro ex adductis Scripturae verbis ‚Producant aquae‘ etc. nihil infertur circa id de quo agimus; nam dicit etiam Scriptura: ‚Abraham genuit Isaac‘, nec ideo intelligitur animam Isaaci Abrahami generatione esse productam; communis quippe usus habet ut totum animal dicatur productum, quia totum oritur a principio generante, licet generatione solum pro-

ducatur corpus. Ut ergo Scripturae verba de quibus agitur, juxta mentem S. Thomae accipiantur, oportet prius probare ratione philosophica virtutem inesse aquis ad animae sensitivae productionem. Sed oppositum contendimus esse tenendum, nam vita non est accidens corporis, sed entis est corpore nobilioris, et pertinet ad substantiam viventis: unde impossibile est transformationis corporum animam esse productum, tum quia vita nequit oriri unde non est, tum etiam quia ens vivens et proinde omnis anima nequit esse effectus nisi creatricis actionis Dei. Et quidem tam impossibile est vitam aquis inesse quam jumentum intelligere: quanto ergo impossibilius erit vitam ex aquarum virtute oriri? Si enim ideo impossibilis est in jumento intelligentia quia intelligere pertinet ad speciem entis nobilioris, eadem ratione impossibilis est vita in corpore, nam vivere non est de ratione corporis.

o) Docet praeterea S. Thomas (1 p. q. 75 a. 4) quod si animae sensitivae operatio esset ejus propria sine corpore, dici posset de singulari anima humana: — haec anima est hic homo. — Ecce verba ejus respondentis art. cit. ad quaest. — Utrum anima sit homo: — „Alio vero modo potest intelligi sic quod etiam haec anima sit hic homo: et hoc quidem sustineri posset, si poneretur quod animae sensitivae operatio esset ejus propria sine corpore: quia omnes operationes quae attribuantur homini, convenirent soli animae. Illud autem est unaquaeque res quod operatur operationes illius rei: unde illud est homo quod operatur operationes hominis.“ Ego autem dico: anima non est homo, dummodo sit vere anima, id est, dummodo corpus animetur per eam: nam ratione hujus animationis corpus hominis pertinet ad naturam vel entitatem hominis quatenus concurrens cum anima ad formandum ens specificum; et defectu hujus animationis corpus quod assumit angelus, non pertinet ad entitatem angeli, qui illud simpliciter movet tamquam aliquid sibi extrinsecum. Atqui ex animatione corporis non sequitur quod virtus percipiendi sensibiliter resideat in composito et non in anima sola. Ergo ex eo quod solius animae sit cognitio sensitiva, non sequitur animam esse hominem. Quod autem attinet ad principium universale cui argumentum S. Doctoris inicitur, — illud est unaquaeque res quod operatur operationes illius rei, — cavendum est ne fiat transitus a supposito ad substantiam, aut vice versa. Intelligere hominis esse dicitur, et nihilominus virtus intelligendi solius est animae: similiter ergo, etsi sentire hominis est, sola anima in eo est substantia sensationis capax. Porro ex animatione corporis non sequitur corpus de aliqua vitali virtute animae participare, nisi aliunde probetur: probari autem non potest; imo recta ratio suadet esse falsum; nam vita neque accidens corporis esse potest, cum sit de substantia viventis; neque de corporis substantia,

quia de ratione corporis non est vivere, rerum enim essentiae sunt indivisibiles.

p) Eandem quam rejicimus theoriam de vita sensitiva P. Urráburu contendens esse tenendam, inter alia scribit: (Psycholog. part. 1. pag. 831) „Sensus est facultas organica, si organum ipsum sentit vere, seu efficit sensationem. Atqui organum revera sensationem efficit. Ergo . . . Ex sensu communi omnium non minus videntur organa sensuum nostrorum instrumenta virtutis sensitivae quam lingua v. g. ad loquendum, et pedes aut manus sunt instrumenta potentiae loco — motivae ad ambulandum, vel movendum, atque impellendum pondus quodlibet. Atqui lingua, pedes et manus ita sunt virtutis animae instrumentum ut vere actionem loquendi, ambulandi et impellendi efficiant: et ita oculus dicitur videre“ . . . . . Ad quod breviter respondeo: revera evidens omnibus est quod mediis organis sentimus, et per linguam, pedes, manus, loquimur, ambulamus, etc.; sed falsum est quod sit veritas sensus communis, eodem modo se habere linguam ad locutionem quo se habet oculus v. g. ad visionem. Omnibus equidem notum est necessarium esse usum linguae ad loquendum et usum oculi ad videndum, et consequenter indubium est linguam instrumentum esse locutionis, et oculum instrumentum visionis; sed de comparatione inter linguam et oculum secundum modum quo lingua deservit ad loquendum et oculus ad videndum, plerique hominum nihil cogitant, et frustra quidem cogitent, cum tam operosum sit philosopho quomodo sensatio exerceatur investigare. Quod si communiter dicitur: — oculus videt, auris audit, etc., — ratio est quia locutiones communes id quod communiter intelligitur, significare debent: porro ideo in ore omnium est, quod oculus videt, quia est in mente omnium, quod per oculum videmus: philosophus autem bene potest a communi loquendi modo recedere, dum ea explicat quae vulgus non capit. Itaque in exposito laudati auctoris argumento nulla est illatio, quoniam ex eo quod organum sensorium sit sensationis instrumentum aequaliter vel sub aliquo respectu, infert illud esse sensationis instrumentum sub respectu qui ei arridet; et praeterea ex eo quod significant locutiones in ore vulgi, transitum facit ad id quod possunt significare in ore philosophi. Neque aliquid probant quae postea subjicit dicens: „Ut enim experientia constat, quando adest objectum proportionatum, si organa sana sint atque integra, sensatio infallibiliter sequitur; si autem organum non est, aut corruptum est, impossibile est sentire; si denique accidentaliter vitiata sint organa vel male affecta, puta ob senium, aegritudinem aut quamvis affectionem, sensatio quoque eandem subit vices;“ per haec enim organi necessitas utique ostenditur, minime vero quodnam sit ejus officium in sensatione.

q) Addit autem P. Urráburu triplicem suae sententiae confirmationem, dicens 1<sup>o</sup>): „Confirmatur cum S. Thoma ex diversitate sensuum. „Diversi sensus sunt perceptivi diversorum sensibilium, sicut visus colorum, auditus sonorum Haec autem diversitas manifeste ex dispositione organorum diversa contingit. Nam organum visus oportet esse in potentia ad omnes colores, organum auditus ad omnes sonos. Si autem haec receptio fieret absque organo corporali, eadem potentia esset et omnium sensibilium susceptiva; nam virtus immaterialis se habet aequaliter, quantum de se est, ad omnes qualitates. Unde intellectus, qui non utitur organo corporali, omnia sensibilia cognoscit. Sentire igitur non fit absque organo corporeo.’ (S. Thom. lib. 2 Contr. Gent. cap. 82.)“ Circa hoc autem S. Thomae argumentum notare sufficiat diversitatem sensationum non postulare organa diversa nisi pro diversis impressionibus quae recipiuntur in corpore animalis et per quas anima diversimode afficitur; percipere autem sensibilibus non postulat diversitatem ullam in perceptionis principio, quia id quod est percipere, semper est idem, quodcumque sit perceptionis objectum, sive nempe affectio animae sive res externa. Unde ex diversitate sensationum, id est, affectionum animae, non sequitur quam vult S. Thomas, diversitas facultatum sentiendi; quia sonus, sapor, etc. non sunt perceptio sensitiva, sed perceptionis objecta; diversa autem objecta sensibilia non postulant plures sed unam tantum sentiendi virtutem, quia percipere sensibilibus est quid indivisibile, rei nempe sensibilis praesentiam advertere. Sonus v. g. in auditu sensatio est; sed passiva, non activa; passio nempe, non cognitio: organum autem auditus deservit ad recipiendam impressionem per quam producitur sonus. Sine causa ergo inducitur pluralitas principiorum perceptionis ex diversitate sensationum, siquidem haec diversitas non est secundum cognitionem sensitivam, sed secundum passiones, quae diversae sunt pro diversitate impressionum quae in animali corpore recipiuntur, quibusque diversitas respondet organorum. — 2<sup>o</sup>.) „Illud, ait, actu sensationem efficit quod est potens sentire. Atqui non est potens sentire sola anima, nec virtus illius sola, sed organum animatum, seu conjunctum ex organo et animae virtute. Nam secus surdus vere posset audire, et caecus videre, etc.“ Sed non advertit P. Urráburu quod ex eo quod surdus non potest audire nec caecus videre, etc., sequitur quidem organi necessitas, minime vero quodnam sit ejus officium in sensatione. — 3<sup>o</sup>.) Demum „sensatio, inquit, in communi sententia est actio immanens. Ergo in eodem subjecto recipitur a quo profluxit. Atqui recipitur certe in organo, ut liquet experientia. Ergo“ . . . Hoc pariter argumentum nihil probat, quippe in quo ea quae in sensatione distinguenda sunt, actio nempe vitalis seu perceptio, passio

sensibilis et actio rei materialis in organum, confuse permiscetur. Impressio sane rei materialis est quae teste experientia recipitur in organo: sed quid inde? numquid actio rei materialis in organum est passio sensibilis aut actus cognitionis?

r) Dicit praeterea: (pag. 834, prob. 5<sup>o</sup>.) „Si organum non est verum sensationis principium et subjectum, eam simul cum anima et per animae virtutem efficiens, nequit satis explicari essenziale discrimen inter sensum et intellectum. Ergo dicendum omnino est sensum esse potentiam organicam. — Antecedens patet. Nam qui organo etiam prout animato quamlibet efficientiam in sensatione denegant, solam rationem purae conditionis eidem assignant. Atqui organum etiam respectu intellectivae operationis, pro hac vita, est conditio sine qua non, ut patet in his qui aliquo sensu carent, et nequeunt propterea conceptus proprios qualitatum sensibilibus ad illum spectantium efformare. Praeterea si organum non influat effective, sed sit pura conditio, quid, quaeso, differunt visio coloris et intellectio ejusdem? Non objecto, nam uterque actus supponitur ad eundem colorem terminari; non subjecto efficiente, quia ex adversariorum sententia tum visio tum intellectio ab anima sola eliciuntur, et quidem per eandem realiter virtutem.“ Ad haec autem respondeo quod, posito nullam organum habere virtutem efficientiae in actum sensationis, revera sola ipsi competit ratio conditionis relate ad efficientiam ipsam seu ad cognitionis actum: sed inde non sequitur 1<sup>o</sup>.) quod eodem modo aut eadem de causa requiratur organum pro sensatione et pro intellectione: nam in sensatione medio organo communicat anima cum mundo corporeo; in intellectione vero nullus est organi interventus, sed ideo dumtaxat intellectio supponit organum quia supponit sensationem, quae dempto organo produci nequit aut exerceri. Non sequitur 2<sup>o</sup>.) identitas perceptionis intellectualis cum sensitiva. Circa quod notanda in primis sunt ultima verba argumenti transcripti „et quidem per eandem realiter virtutem.“ Porro si per eandem virtutem eliciuntur sensatio et intellectio, sine dubio non distinguuntur inter se: sed si qui hoc opinati sunt, ipsi viderint; absit a me talis insania. Argumentum autem laudati auctoris non procedit e suppositione quod una sit in anima virtus ad cognoscendum intellectualiter et sensibiliter, sed e suppositione quod organum non habeat virtutem efficientiae in actum sensationis, unde conatur inferre impossibilitatem explicandi essenziale discrimen inter sensum et intellectum. Ex eo autem quod organum talem non habeat efficientiae virtutem, infertur quidem animam solam, non conjunctum, sensibilis esse perceptionis principium: sed si ex unitate substantiae operantis inferatur unitas virtutis operandi, in hoc profecto est error manifestus. Ex eo igitur quod anima sola sit sensationis principium sicut et

intellectionis, non sequitur quod per eandem ipsa virtutem sentiat atque intelligat. Sepositis itaque verbis illis „et quidem per eandem realiter virtutem“, videamus quid evincant reliqua transcriptae probationis membra. „Si organum, ait P. Urráburu, non influat effective, . . . quid, quaeso, differunt visio coloris et intellectio ejusdem? Non objecto, nam uterque actus supponitur ad eundem colorem terminari; non subjecto efficiente, quia ex adversariorum sententia tum visio tum intellectio ab anima sola eliciuntur.“ Sed quis philosophorum ignorat, ad diversitatem actionum requiri et sufficere diversitatem virtutum, quamvis unum sit actionum subjectum et etiam objectum materialiter sumptum? Materialiter sumptum dixi, nam color non est unum objectum formaliter sensationis et intellectionis, cum alio modo percipiatur sensibiliter, alio intellectualiter, siquidem per sensibilem perceptionem sola advertitur objecti praesentia, per intellectualem vero cognoscitur quidditas ejus.

s) Subdit autem: „Dices forte, visionem differre ab intellectione in modo productionis, quia illa extenso, haec inextenso modo peragitur. — Verum quid est percipere rem extenso modo, nisi percipere per actionem extensam et corpoream? Et cur visio et generatim sensatio fit extenso modo nisi quia virtus sensitiva organica est? Numquid anima, prout intellectiva, non est intime praesens organo et corpori, immo et substantialiter unita? Cur ergo modus cognitionis in sensu et intellectu diversus est? Nulla itaque diversitatis ratio, nulla responsio apta reddi potest, donec concedatur virtutem sensitivam communicari ab anima corpori per unionem substantialem, et per corpus exerceri una et indivisa actione quae sensatio appellatur.“ Fortasse aliquis dicat, non negabo, quod dicit P. Urráburu, visionem nempe differre ab intellectione in modo productionis quatenus illa, ut ipse ait, extenso, haec inextenso modo peragitur: sed mihi tam absurda videtur perceptio extensa quam quod absurdissimum: et non modo perceptio, sed et quaelibet actio, etiam non vitalis. Quomodo enim efformatur extensio vel extensum nisi per unionem entitatum materialium? quid ergo magis absonum quam actioni cuilibet extensionem tribuere? Porro quando vel res extensa operatur, non operatur virtute extensionis, sed virtute entitatis quae existit in singulis partibus quibus res ipsa constat: actio autem ejus, quamvis una reputetur ratione unitatis compositi, non tamen una est sed multiplex, quia unaquaeque ex compositi partibus habet suam propriam actionem, puta suum motum, quum corpus aliquod v. g. aliud impellit. Et de hoc puncto satis: nec enim est cur circa ipsum plura dicamus, cum omnibus constet vitam esse quid simplex, et consequenter simplicem quoque esse debere actum vitalem.

t) „Nec valet dicere, prosequitur ipse, organum pro sensatione esse conditionem intrinsecam, extrinsecam vero pro intellectione, idque sufficere ut sensus et intellectus atque illorum operationes specificè et essentialiter discriminentur. — Nam vanum hoc effugium est. Quid enim, quaeso, sibi vult haec intrinseca conditio? Conditio intrinseca est, inquires, id quod etsi non eliciat actum sensationis, tamen unam naturam constituens cum eliciente actum, est ratio cur ab eo actus esse possit. Atqui 1<sup>o</sup>. organum constituere unam naturam cum anima et organum non esse principium sensationis videtur pugnam conceptuum continere. Nam natura, etiam in adversariorum doctrina, nihil est aliud nisi principium intrinsecum primum, tum activum tum passivum, phaenomenorum omnium quae motu continentur; ubi nomine motus comprehenduntur omnes mutationes quae ad actiones vel passiones corporum spectant“ . . . Rursus dico: si qui sint qui istud concedant quod P. Urráburu sibi concedendum sperat, organum videlicet pro sensatione ita esse conditionem intrinsecam, ut nulla adhibita distinctione confundatur conditio intrinseca cum principio eliciente sensationis actum, ipsi viderint: ego autem non admitto organum esse pro sensatione conditionem intrinsecam nisi comparate ad intellectionem, quatenus intellectio ideo supponit organum in nobis quia supponit sensationem; sensatio autem organum supponit, non propter alium vitalem actum vel affectionem, sed propter semetipsam, quatenus per impressionem quae recipitur in organo, producitur passio sensibilis et communicat anima cum mundo corporeo. In hoc utique sensu organum esse pro sensatione conditionem intrinsecam, constat experientia, non in alio. Et eodem modo ratiocinandum est circa nomen naturae, quod cum non semper eandem, sed diversas habeat significationes, illud nihilominus P. Urráburu ita usurpat ut postquam dixit organum constituere unam naturam cum anima, inferat inde organum esse principium sensationis, eo quod natura sit operationum principium. Debebat enim, ut haec illatio esset legitima, prius per ea quae experientia constant, unione animae et corporis ita unam effici naturam qualiter una natura est per se omnis substantia, demonstrare, nam substantia vocatur natura secundum quod est operationum principium. Cum igitur haec demonstratio nec fiat nec fieri possit, ut e superius probatis liquido patet, hinc praesens laudati auctoris argumentum vitio petitionis principii laborare convincitur. Humanum compositum unam naturam dicere possumus secundum ea quae de unione animae et corporis nobis constant; sed si nomen naturae usurpetur ad significandum de composito humano id de quo disceptatur an illi conveniat vel secus, sic nefas est naturae conceptum assumere ut medium argumenti, quia illegitime proceditur ponendo pro fundamento

probationis id quod probandum est. Non solum autem secundum ea quae de unione animae et corporis nobis experientia constant, non possumus humanum compositum ita unam vocare naturam ut vita animae communicari intelligatur substantiae corporeae; sed oppositum ratio suadet ex natura rei. Nam vita animae, cum non sit accidens animae, sed de substantia ejus, substantia autem animae non sit divisibilis, non potest ex parte tantum a corpore participari, ut communicetur ei virtus sensitiva, non vero intellectiva; hae namque virtutes non sunt physicae realitates distinctae a substantia animae, sed partes totius potentialis seu totalis virtutis animae: unde corpus vivificatum seu animatum vel utramque animae humanae virtutem, vel neutram participat. Ex eo igitur quod corpus humanum non potest intelligere, recte infertur nec posse sentire. Et alia quoque ratione illatio ista probatur, quia si virtus intellectiva animae nequit corpori communicari quia non est capax illius, eadem ratio valet pro deneganda corpori virtute sensitiva, siquidem de ratione corporis non est vivere, rerum enim essentiae sunt indivisibiles. Unde non solum active corpus sentire nequit, sed neque passive; passio enim sensibilis affectio vitalis est. Per unionem autem animae et corporis efficitur ut impressio materialis quae recipitur in corpore, animam afficiat, sive sensibilibiter in sensatione passiva, sive non sensibilibiter in sensatione pure activa.

---

### Kardinal Pitra, O. S. B.

Eine biographische Skizze nach Dom Cabrol's Histoire du Kardinal Pitra  
von P. Thomas Bühler, O. S. B.

(Fortsetzung zu Heft II. 1907, S. 357—366.)

#### VIII. Kapitel.

##### Wissenschaftliche Arbeiten.

Die Zeit, welche Dom Pitra als Prior in Paris zubrachte, war für seine Studien nicht verloren. Bei allen Arbeiten konnte er immer noch Zeit gewinnen. Später schrieb er von diesen Jahren: „Mein Tageswerk begann um 4 Uhr Morgens und mein Nachwachen hörte zu ebenderselben Stunde auf.“ An Dom Guéranger schrieb er bezüglich seiner Arbeiten über die Kirchenväter: „Ich sehe ein, daß ich während der Nacht für die Väter, und während des Tages für die Brüder arbeiten muß.“

Dom Pitra lernte in Paris einen jungen Priester aus der Auvergne kennen, der einen Unternehmungsgeist besaß wie wenige. Es war dies Abbé Migne.